



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventuræ Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiæ, Speculum Disciplinæ, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De tribus quæ expellunt vitia. Cap. XXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

imperio, & despicit ceteros & deprimit. Decipitur autem quadrupliciter: vel putans se habere quod non habet, vel plus habere quam habet, aut singulariter præ ceteris habere, aut ex se, vel pro meritis suis habere.

De tribus quæ expellunt vitia.

CAP. XXIII.

TRIA sunt autem quæ vitia à nobis expellunt, & virtutes operantur: scilicet gratia Dei, industria propria, & necessitas. Gratia Dei infundit virtutes: industria cooperatur gratiæ ex libero arbitrio: & necessitas conuertit in virtutem. Sine necessitate sæpe, sed sine gratia nunquam potest esse virtus, & sine liberi arbitrij cōsensu. Quibusdam infundit gratia virtutes cum modico vel nullo labore industriae propriae: licet non sine consensu voluntatis, cum sine consensu voluntatis nullum sit meritum: sicut illis quos præuenit Deus in benedictionibus dulcedinis suæ. Qui de luce, id est, diluculo incipientis ætatis, capacis intelligentiæ vigilauerit ad illam, nō laborabit: assistentem enim foribus suis inueniet illā, id est, gratiam sapientiæ & virtutis. Sic Apostolos & alios quandoque, maximè in primitiua ecclesia legimus repente Spiritu sancto repletos, ad virtutes & dona & diuersa charismata Spiritus sancti attigisse. Gratia excitat voluntatem, & instruit & roborat, vt industria agat ad profectum salutis. Necessitas autem, alia est, cui se homo voluntariè subiicit; vt qui obligat se voto ad obedientiam, castitatem, paupertatem & similia: vel vt vadant ad infideles prædicare: si illis postea euenit aliquid agere vel pati quod libenter euaderent, videntur necessitate cogi, quæ tamen voluntaria est, quia ad hoc sponte

Gratia vt
expellat
vitia.

Sap. 6, 15

Necessitas
vitia fugit.

se obrulerunt, & potius pati volunt quam à proposito resilire. Alia est coacta, quam homo inuitus tolerat, nec tamen potest effugere: vt paupertas seculi, infirmitas corporis, despectio, persecutio, tentationes, vel alia tribulationes diuersa: quas licet primò homo inuoluntariè toleret & cum murmure, tamè postea cum videat eas esse inuitabiles, incipit quandoque voluntatè flectere & facere de necessitate virtutem. & tunc incipit mereri: & cooperatur illa necessitas ad magnum profectū virtutum, ad quas vix aliter perueniret. Et hoc est quod dicitur de quibusdam, Compelle intrare. Et illud quod orat Ecclesia Deum, Et ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates: fac de inuoluntariis voluntarios, ad ea quæ scis nobis expedire: etiam per aduersa, cum nolumus te in prosperis sequi. Industria in tribus consistit, in prouida consideratione, in labore conatus, & in perseueranti diligentia. Per ista tria, adiuuante gratia, vitia subiugantur & virtutes obtinètur. Sed gratia quosdam ita præuenit, vt aut multa facilitate, imò cum multa suauitate faciant bonum, & declinent à malo: aut ita accendit volūtatē, vt cum magno feruore quæque faciēda promptè aggrediantur, quamuis dura ac difficilia. Quosdam verò ita sibi quodammodo relinquit, vt quicquid boni agere debent, necesse habent se stimulis & calcaribus pungere quasi pigrum animal: vt grauior sit eis difficultas superandi torporem cordis, quam laborem actionis sustinendi. Isti etsi non habent desiderium feruēs ad currendum post Dominum, habent tamen desiderium desiderij, orantes se trahi cum sponsa; quasi qui agilitatem currendi non habent. iuxta illud; Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. Volunta-

Luc. 14, 23

*Industria
quoque
subiugan-
tur vitia.*

Cant. 1, 4

*Psal. 118,
30.*

luntatem bonam habent, sed pigram & tepidam, non feruentem. Primum felicius est, secundum laboriosius. Quod autem horum maioris sit meriti, puto neminem perfecte aestimare posse, nisi eum qui ^{ad spiritum} statuum ponderator ^{tuum} est, scilicet Deum. Quia secundi si feliciter luctando vincunt seipsum, ut per consuetudinem sui potentes fiant, magnæ virtutis est. Primi maiori indigent cautela ne seducantur: quia diuitiæ faciliter acquisite prodigalius solent effundi, quam quæ paulatim & cum difficultate elaborantur. Secundi antequam perfecte vincant difficultatis tentationem, sæpe quasi lassati vel tertiti ex labore desperant de victoria, & de peruentione ad finem quò tendunt, & remittunt studium perfectionis: & ad alias occupationes se conuertunt, quasi diffidentes Deo, quòd velit eos introducere in terram promissionis, per quam significatur perfectio puritatis. Sicut filij Israël in deserto tædio laboris & difficultatis de superâdis hostibus detraxerunt terræ promissionis: & mortui sunt in deserto præter paucissimos, hoc est, præter Caleb & Iosue, qui designant eos qui cautè & viriliter per tentationes pertranseunt vsque in finem perseverando. Ideo inter tot de seculo quasi de Aegypto egressos, tam pauci perueniunt ad consummatam perfectionem: quia aut seducti callidis deceptionibus inimici, aut tædio laboris & difficultatis fracti, viam perfectionis deserunt, vel aggredi non præsumunt.

De generalibus remediis contra vitia.

CAP. XXV.

QUAEDAM etiam sunt generalia remedia contra vitia expugnanda & virtutes obtinendas, quædam specialia, aliqua singularia.

M 4

laris